

D. D.

TENTAMEN SPECIMINIS ACADEMICI,

DE

IGNORANTIA ATQUE ERRORE NON EXCUSANTE, QUOD,

Consentiente ampliss. Regiae ad Auram Academicae Philosophorum Ordine,

*PRAESIDE
VIRO amplissimo atque celeberrimo,*

DN. ALGOOTHO A. SCARIN,

HIST. & PHILOS. CIV. PROFESS. REG. & ORD.
ACADEMIÆ BIBLIOTHECARIO, & FAC. PHILOS.

h. t. DECANO,

publico examini subjicere constituit,

HENRICUS CHYTRÆUS,

ABOÆ FINNO,

Ad diem XXIX. Septembr. Anni MDCCCLIII.
L. H. Q. S.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.

VIRO amplissimo atque celeberrimo,
**D^{N.}. ALGOTHO A.
SCARIN,**

Hist. & Philos. Civ. PROFESSORI Reg. & Ord. Biblio-
thecæ PRÆFECTO & Societatis Litterariæ Upsaliensis
MEMBRO gravissimo.

VIRO consultissimo
D^{N.}. JOHANNI ER-
Territorii super. & infer. Hållolensis
PATRONIS & FAUTORIBUS ad

QUod amplissima VESTRA NOMINA rudibus bisce in-
bent inde arcessituri nitorem, ne indignemini,

A VOBIS enim, PATRONI Magni, quos multiplici
hic a me de ignorantia atque errore inexcusabili te-
sperare possunt

Amplissimo atque celeberrimo VIRO,
**DN. HENRICO
HASSEL,**

Utriusque SVADÆ Romanæ in illustri ad Auram Ly-
ceo PROFESSORI Reg. & Ord. Consistoriique ibidem
Acad. ADSESSORI æquissimo.

atque spectatisimo,
LANDO TÖRN,

Justitiæ PRÆFECTO integerrimo.

cineres usque suspiciendis.

scribere ausus fuerim pagellis, quem de se uon ha-
Vos maximopere obtestor.

scientiarum laude splendentes venerantur cuncti, que
nuiter disputatione sunt, certissimum & benignissimum
patrocinium.

Acces-

*Actedit, quod maxima. quæ in memet conferre
haud designati estis beneficia, quorum ex virtute æsti-
matio meas longe vires superat, ad animum devotissi-
mum atque gratissimum quævis occasione declarandum,
vinculo memet adstringant validissimo.*

*Quumque in re tenui nihil, quod rependere pessim,
habeam, confectum crasso filo munusculum hocce hosti-
menti loco offerre sustineo.*

*Accipite itaque, VIRI mibi maximopere observan-
di, muneris quidquid istud videri poterit, benignè, fren-
teque adspicite serena basce academicæ frugis primicias.
Erit illud haud leve favoris VESTRI pariterque ad sol-
vendum debitum, prolixæ voluntatis meæ documentum.*

*Mearum erit partium pro perenni VESTRO flore
atque felicitate ad supremum rerum humanarum MODE-
RATOREM calidissima mittere suspiria, quo sic habeant
in VOBIS respublica litteraria decus, æqui bonique obser-
vantia fulcrum, Familiae VESTRÆ NOBILISSMÆ orna-
mentum atque gaudium, clientes denique præsidium ex-
optatissimum.*

NOMINUM VESTR. AMPLISS.

*humillimus cultor;
HENR. CHYTRÆUS.*

VIRO plurimum reverendo atque clarissimo,
**DN. GABRIELI
SALINIO,**
Ecclesiæ Cathedr. Fennicæ Aboëns. Vice *PASTORI*
& Chorali Primario, meritissimo,
PARENTI OPTIMO.

Tibi, Parens Optime, quo benigniorem ipsa natura concedere non potuisset, cur has qualescumque ingenii mei consecrem primitias, non e longinquo arcessendæ sunt rationes. Tanta enim tamque innumera exstant Tui in me paterni amoris documenta, ut eadem mente complecti, ne dicam dignis laudum praconiis celebrare, mearum plane non sit virium.

Tu namque, Carissime Parens, si non, ut viverem, fecisti, certe, ut bene viverem, prolixa & benefica indulgentia TUA effecisti.

Continuis licet munera Tui gravissimi negotiis fueris distractus: animum tamen meum tenerum bonis litteris IPSE excolere informareque, grave profecto non duxisti. Utque deinde in proposito mibi studiorum cursu pergere liceret nullam intermisisti contentionem, nullis pepercisti sumptibus. Imo quod lucem jam publi-

cam præsens hæc rudit mea conficiat opella, TU**M** ad liberalitatem erga me propensioni summe quoque debetur. Quid multis? Tu studiorum meorum qualiumcunque Auctor, Tu Promotor semper fuisti.

Pro hisce omnibus aliisque longe plurimis, quibus me beneficiis cumulasti, quum nihil referre unquam valeam, nisi mentem gratissimam animumque venerabundum: ut has levissimas pagellas in signum animi, post DEUM, TABI unice dediti atque devoti, benigne accipias, etiam atque etiam rogo.

De cætero supremum rerum ARBITRUM ex animo precor, velit TE, Parens Indulgentissime, omnigena salute atque prosperitate coronatum in longam annorum seriem conservare, in Ecclesiæ ædificationem, tuorumque nullis non ærumnis exercitatorum fulcrum & allevamentum.

PARENTIS OPTIMI

filius obedientissimus
HENR. CHYTRÆUS.

Q. B. V.

g. L.

A Reris plane intellectum humanum circumscriptum esse limiribus, experientia quemque facile docere potest. Id abunde experti sunt omnes, qui debita industria, diligentia & sollicitudine in eodem excolendo desudarunt. Quo enim maiores in hoc ipso negotio fecerunt progressus, eo ad rem recte peragendam plura sibi restare deprehenderunt. Quantamcunque sibi rerum acquisiverunt cognitionem, ea tamen, quæ noverunt, minimam esse partem eorum, quæ ignorant, fateri necessum habuerunt. Hinc Socrates, qui Parens Philosophie a Cicerone salutatur, dicere solebat, *se nil scire nisi hoc unicum, quod nil sciret.* Magnum quoque, quod ad intelligendi vim atque perspicaciam, inter homines reperiri discrimin, nemo facile inficiabitur. Sunt, quibus promtum, certe non arduum intropicere in nexum veritatum; sunt vero etiam, qui non nisi longinqua interveniente meditatione finem, quem in oculis habent, contingere pos-

A

sunt,

sunt. Dantur, qui plures, dantur etiam, qui non nisi pauciores capiunt veritates. Quid itaque mirum, si non semper rerum pondera discernere, quamvis ex parte veritas sit, comprehendere queant mortales? Utrum vero rem acu tetigerint illi, qui varietatem hanc ingeniorum a locis ac temporibus, quibus quis natus sit, derivare voluerunt, aliorum esto judicium. Id certe extra dubitationis aleam est positum, quod, quamvis nunquam perfectionem ejusmodi, cui nihil addi posset, attingere humana queat cognitione: nihil tamen minus reperiantur multi, qui, aut affectibus conturbati, aut præjudiciis fascinati, aut per supinam suam negligentiam, aut denique alias ob causas, eorum etiam, quæ studiose diligenterque curare & possent & deberent, crassa laborant ignorantia. Neque desunt, qui falsum a vero discernere non magnopere laborant, & quum a natura facultatem habent, qua in lucem scientiae & veritatis emergere possint, in fallo jaetari tamen, inque turbido sine remigio navigare malunt. Iстiusmodи stirpis & conditionis homines, quemadmodum & sibi ipsis & aliis non possunt non maxima adferre incommoda; ita neque censuram & animadversionem, quam ignorantiae errorisque noxa sua meruit, effugere possunt. Certe non culpae reatum omnem abs se submovisse cendi sunt eo ipso, quod se naturalibus illis, quibus alii ad indefessam rerum scrutationi operam navandam impelluntur, stimulis, aut dotibus ingenii, quæ ad hoc ipsum negotium peragendum necessaria sunt, destituui

tui clamitant. Hanc vero in rem dum paucissima,
pro tenuitate nostra, commentari constituimus, tuum
L. B. qua par est, animi obseruantia, favorem,
tuam æquanimitatem nobis comprecamur.

§. II.

Quando rem nobis aut actu repræsentamus, aut,
ubicunque libuerit, repræsentare possumus, eam
cognoscere dicimur. Et quidem vera nostra est co-
gnitio, quando rem ita nobis repræsentamus aut re-
præsentare possumus ut in se est, sive minus, falsa.
Cognitio falsa, si pro vera habeatur, *error*, cogni-
tionis autem absentia *ignorantia* vocatur. Tam haec
quam ille, si, adhibita debita diligentia, vitari poterit,
vincibilis, sive minus, *invincibilis* audit.

§. III.

Appetitus sensitivus aut aversatio sensitiva vehe-
mentior conjuncta cum motu extraordinario in
sanguine succoque nerveo, *affectus* nomine nobis ve-
nit. Quem ad modum vero motus ille extraordinarius
sanguinis succique nervae ex repræsentatione
boni vel mali vividiore profluit; sic mens et jam
propter intimum illud, quod inter corpus & ani-
mam intercedit, commercium, pro rei gratæ adver-
sæve indole nunc vehementius, iterum in alio, casu
remissius afficitur. Adeoque, quum ægre de-
fungi munere suo possit mens inordinato spirituum
motu conturbata, prout quis in affectu constitutus
rem sub ratione vel boni vel mali sibi repræsentat;

ita a dicto hoc motu ad easdem repræsentationes continuandas determinatur, impediturque quo minus aliter rem oblatam sibi repræsentare queat. Quum vero affectus sint appetitus vel aversationes sensitivæ, adeoque ex repræsentationibus sensuum oriantur (per def.) & særissime accidat, ut, quæ sensibus ut bona vel mala occurruunt, re ipsa talia non sint: quid mirum, vincitam frænis mentem ultro citroque jactari, affectibusque homines in errores non raro abripi, & a cognitione veritatis in diversa nimium quantum distrahi (§. 2.)? id quod quotidiana satis superque comprobat experientia.

Ita v. g. qui affectu amoris erga rem aliquam fertur, ea solummodo in illa considerat, quæ voluptate ipsum perfundere apta sunt; imo ejusmodi quid særpe in illa anxie conquirit: quæ vero tedium ipsi afferre poterint, prorsus negligit. quo ipso quantum in vera ejusdem rei cognitione impediatur, uti dictum modo fuit, non difficile est intellectu. Hinc Ovid. *Quid deceat non videt ullus amans.* Affectum amoris sive philautiam pravam in primis causam fuisse, cur prædicatio Evangelii Philosophis Græcanicis visa fuerit *μωαία*, ostendit Camp. *Vitrina* in dissert. de Phil. Græc. vitio affectuum corrupta, quæ habetur in Obs. ejus sacris L. III. Cap. 12. Quemadmodum vero in amore; ita quoque in reliquis affectibus, quod præsens attrinet negotium, se res hahet. Unde præclarus non minus quam verè Cicero, quemadmodum, inquit, occurrit conturbatus non est probe affectus ad suum munus fungendum, & reliquæ partes rotunquam corpus a statu quum est motum, deest officio suo & muneri; sic conturbatus animus non est aptus ad exequendum munus suum. Tusc. quæst. L. III. Hinc

Hinc quoque consilio & eloquio potens idem affectus perturbationes & inconcinnos motus, qui rationi non obtemperarent, vocare saepe solebat.

§. IV.

Licet autem actio, quum affectus ciere & impedire in nostra situm non est potestate, non nostra censeatur, &, qui perfecta actione remanet, effectus, inter impossibilia evitatu referri possit; interim tamen omnem affectuum cohibitionem nostras vires plane superare, nisi qui frustra omnem nobis factam esse legislationem statuere velit, non facile quisquam dixerit. At vero affectus, quum sint appetitus vel aversationes tensitivæ (§. 3.) adeoque ex confusis sensuum repræsentationibus oriuntur (per def.) & confusæ ideæ ope attentionis in distinctas mutari possint, prouti docent Logici: circumspectione atque cautione hic quam maxime opus, ut primis affectuum motibus, si quid monstri sinu gerant; statim quis resistat, ipsisque repræsentationibus sensuum contrarias opponat repræsentationes intellectus, neque liberum illis dominium unquam permittat. Quemadmodum enim crebro repetiti affectus fortiores evadunt; ita, dum fortiter illis ubique resistitur, valde debilitantur. Atque hæc qui sedulo observat, is non modo affectibus suis occurrere, verum etiam victoriam de ipsis, si licentius se movere prætentant, reportare, saltem, ne in actum erumpant externum, impedire utique poterit. Quumque ita affectus cohibere in nostra haud raro potestate situm sit,

fit, errorem illum ignorantiamque, quæ ad manus
iisdem ceu *affectatores* crebro adesse solent, inter in-
vincibilia, penitus neque reponenda esse, in propositulo
posita res est (§. 2.).

Sunt remedia affectuum non omnia unius generis. Eo-
rum vero, quæ vulgo *esbica* vocantur, potiora, & quæ
ad propositum nostrum in primis spectare viva sunt, hic
tantum indicare voluimus.

§. V.

Quando unam ideam alteri convenire cogitamus,
ideas conjungere dicimur; separamus vero eas,
quando unam ideam alteri non convenire cogitave-
rimus. Quum vero quidquid sit, sine ratione suffi-
ciente existere nequeat; ratio quoque adsit oportet,
cur ideæ jam conjungendæ jam vero separandæ
sint. Tum autem cum ratione conjunguntur vel
separantur ideæ, quando quis aut nexum vel pugnam
earundem perspicit, aut propria nifitur experientia,
aut denique testimonio aliorum, omni exceptione
majori, judicia sua superstruit. Sed accidit crebro,
ut quis sine hujusmodi ratione, sive etiam ante-
quam idearum consensum vel dissensum rite perspexe-
rit, easdem temere & fortuito vel conjungat vel
separet. Illud dum sit, *præjudicium* committitur. Quum
itaque, dum quis, aut siue, aut nondum perspecta
ratione cur ideæ conjungendæ vel separandæ sint,
se ad hoc ipsum agendum determinat, facile eve-
nire possit & soleat, ut ideas separandas conjungat,
eas vero, quæ conjungendæ erant, separet, adeo-
que

20

que fallum pro vero arripiat, & consequenter erret
(§. 2.) ; haud difficulter intelligitur , præjudicia erro-
res haud paucos ex sese progignere. Hocque eo-
tutius affirmamus, quo certius constat, quod, post-
quam judicium de re aliqua quis tulerat, eandem
ulterius examinare plerumque intermittat: quum
contra, si judicium suum suspendisset, ansam habuis-
set penitus in rem inquirendi.

Quod præjudicia multos eosque sat noxios in rem lit-
terariam, civilem & aconomicam, immo ecclæsiam quoque,
errores introduxerint, ignotum nemini esse potest. Et ad
ecclæsiam in primis quod attinet, KEUFFEL Rostochiensis,
de caussis corruptæ Theologiae pag. 26. *Praejudicia*, in-
quit, in rebus ad Theologiam & fidem pertinentibus non facile
negabit quicquam: & actum agere videretur, qui eorum exi-
stentiam multis probare vellet. Nam etiam omnes, in ecclæ-
sia, cui nomen dederunt, præjudicia dari negarent; fatebun-
tur tamen & omnibus viribus contendent, reliquas omnes, quae
diversas fovent opiniones, præjudiciis esse infectas, itaque im-
pediri quominus veritatem agnoscant & amplectantur, quod
quidem ad probandam eorum in illo foro existentiam sufficere
potest. Gerre quoties cum adversariis res est, roriles fere præ-
judicia accusantur, itaque tribuitur, quod sua quicunque errata
mordicus teneat. Diximus vero ideas conjungi aut separari
posse non modo tum, quando nexum vel pugnam earum
perspicimus, verum etiam quando propria adest exper-
tentia, aut aliorum suppetit testimonium: quia dantur veri-
tates non modo ejusmodi, quas scire, verum etiam quas
experiri aut credere possimus & debemus. Neque neces-
sarium est aut fieri potest, ut semper judicia nostra eadem,
ex qua ipsæ veritates dependent, nitantur ratione.

§. VI.

QUUM itaque præjudicia errorum adeo sint fœcunda (§. 5.), omnis vero errans cognitione rei vera destituatur, & cognitionis absentia ignorantia vocetur (§. 2.); præjudicia ignorantiae quoque caussam constituere nulli dubitamus, præser-tim quum intimorem rerum scrutationem haud pa-rum impedianc (§. 5.).

§. VII.

QUONIAM autem in cuiuslibet potestate sit judicium suum suspendere, donec rationem perspe-xerit sufficientem, cur ideae conjungendæ aut sepa-randæ sint, & consequenter a præjudiciis sibi met ca-vere quilibet possit; palam quoque esse arbitramur, errorem atque ignorantiam ex præjudiciis ortam evitari potuisse, adeoque vincibilem esse (§. 2.).

§. VIII.

QUUM aliis, quam qui jam in mundo hoc con-spicitur, nexus contradictionem non involvat: neque nexus hunc, neque, qui per eum determina-tur, universum hocce, necessarium, sed in seriem con-tingentium reponendum esse, apparet. Quoniam vero contingens rationem existentiæ suæ in se ipso habe-re non potest (per princ. Met.); aliud igitur & a mundo diversum ENS adsit oportet, in quo dicta hæc ratio contineatur. Hoc autem ENS quum DEI nomine veneremur; Eundem Caussam & Effec-torem admirabilis opificii cognoscamus, plane & omni-no

mnino convenit, adeoquo Ejus existentia invincibiliter ignorari non potest (§. 2.). Qumque hæc cognitio existentiæ Divinæ vera sit; neque error hac in re invincibilis datur (ibid.).

Controversiam illam, num dentur *athei* sic dicti *theoretici*, inter eruditos ultro citroquè agitamat, nostram in præsenti non facimus. Neque nobis jam inquirere animus est, in quotuplici athei illi sint differentia. Id vero certum fore confidimus, ut; qui debita attentione mundi hujus universi machinam contemplatur, ordinemque & nexum, nec non dissimilium partium concordiam illam, quæ in ea conspicitur, elegantissimam sedulo considerat, is statim animadvertisat, Conditorem extitisse, Eumque bonitate, sapientia potentiaque infinita necessario præditum esse, qui hæc omnia produxerit, ordinaverit inque statu eodem, quo olim, adhucdum sartum tectumque sustentet. Interim tamen dolendum est, reperiri inter etuditos, qui Deum invincibiliter ignorari posse, contendere non dubitarunt. Ita *Estrixius* Jesuca Lovaniensis scribit: *peccatum committi posse ab eo, qui Deum ignorat invincibiliter.* Ita quoque *Platelius* Jesuca Duacenus nec non *Duffius* Hibernus monachus Jesuitis admodum deditus, loquuntur de *peccato commesso ab invincibiliter ignorantibus aut non advertente Deum esse*, cfr. Act. erud. Lipsiens. Anni 1690. mens. Jul. p. 331. seq.

§. IX.

Actionem, quæ salva voluntate divina fieri potest, moraliter *possibilem* dicimus; *impossibilem* vero, quæ, eadem salva, fieri nequit. Ideoque, quum id, cuius oppositum est impossibile, *necessarium* sit, necessarium quoque erit, ut creatura ra-

tionalis actiones suas liberas ad voluntatem Dei componat. Et in hac quidem necessitate quum obligatio consistat passiva; ad voluntatem divinam hominem, utpote creaturam rationalem, actiones suas componere obligatum esse, patet.

§. X.

Norma, ad quam actiones nostras liberas componere obligati sumus, *legis* nomine venire sollet, quæ prouti vel ab ipso Deo, vel a summo Imperante *homine* determinatur, vel divina, vel humana seu civilis dicitur. Lex divina porro *natura lis* est aut *revelata*. Hæc ad nostrum propositum jam non spectat; illa vero est, quæ attendendo ad naturam nostram actionumque nostrarum cognoscitur.

§. XI.

Quum Deus sit summe *bonus*, creaturarum suarum in columem statum, aut si dicere mavis, perfectionem non potest non velle (per def. bon.), adeoque etiam quidquid ad perfectionem hominis aliquid confert. Actiones vero nostras liberas curatius paulo si consideraverimus, cum variis eas consecutariis connexas esse, experientia magistra, cognoscimus, quæ vel ad perfectionem vel imperfectionem nostram tendunt. Hæc igitur ut omittantur, illæ vero ut committantur, Deum velle colligimus. Quoniam autem ad voluntatem divinam actiones nostras componere obligamur (§. 9.), atque norma, ad quam actiones nostras componere oportet, lex dicitur

dicitur (§. 10.), & quidem naturalis, cujus indolem cognosci modo diximus attendendo ad actionum nostrarum cum natura convenientiam (ibid.): intelligitur mox etiam, cognosci omnino posse legem naturalem, adeoque hoc in negotio ignorantiam atque errorem invincibilem locum non habere (§. 2.).

Dum vero legem naturae a quolibet sine errore cognosci posse contendimus, id non ita capendum esse volumus, ac si, quid in quolibet casu speciali eadem lex determinet, ubique perspicere liceat. Multæ dari possunt actiones, quarum cum sine ultimo consensum aut repugnantiam indagare homini proclive adeo non est. Sufficere novisse, naturam in necessariis non deficere, eaque, quæ ad felicitatem hominis promovendam factu vel omissu maxime necessaria fuerint, unumquemque, dum modo debitam adhibere voluerit diligentiam, dispicere & arcta familiaritate complecti posse. Hoc quoque confirmat apostolus, dum gentes, quæ legem non habent, sibi ipsis esse legem dicit, cogitationibus invicem semet accusantibus vel defendantibus. Rom. 2: 15.

§ XII.

QUUM DEUS sit Ens sapientissimum, finem aliquem in homine creando habuerit necesse est. Licet vero gloriæ suæ manifestationem, ceu ultimum in hocce opere respexerit finem, interim tamen felicitatis quoque humanæ Eum in hoc ipso negotio rationem juxta habuisse, omnino existimandum est. Quum enim ipse perfectiones suas omnique possibilia distinctissime cognoscat, eaque, quæ optima censentur, perinde appetat (per princ. Th.

nat.): non potest non maximam inde capere voluntatem, adeoque summa frui felicitate (per def. vol. & fel.). Quumque præterea summe *bonus* sit, adeoque intensissimo feratur studio creaturis omnes, quas capere possunt, conferendi perfectiones; tuto colligimus, ipsum circa creationem hominum eundem quoque intendisse finem, ut in eos, quos felicitatis capaces creare voluit, bonitatis suæ inexhaustæ radios transmitteret, eosque, quantum quidem fieri potuit, secum felices redderet. Adeoque, quum, quemadmodum innuimus, felicitas DEI in eo consistat, ut perfectiones suas omniaque possibilia distinctissime cognoscat, eaque, quæ optimæ fuerint, appetat: sequitur, quod HOMO quoque tanta, quantæ, per finitudinem suam, capax fuit, rerum cognitione, bonique appetitu in ipsa creatione a DEO instructus fuerit. Et hoc quidem eo confidentius concludimus, quo certius constat, arctissimum hunc cum fine ultimo habere nexum.

§ XIII.

SI vero conditionem humanam, qualis jam est, consideraverimus, haud difficulter perspiciemus eam ejusmodi plane esse, ut finis a DEO in creatione intentus minime obtineri queat. Intellectum enim nostrum dum contemplamur, crassis admodum ignorantiae tenebris eum esse obductum mox videbimus: quemadmodum in §. I. idem jam ante innuimus. Deum, ex quo omnis nostra felicitas pendet, parum omnino, & quasi per nebulam, co-

gnoscimus. Neque facile aliam de eo nobis formare possumus ideam, nisi quam ex occasione perfectionum, quæ in rebus creatis deprehenduntur, acquisiverimus. Quum vero DEUS infinitus sit, idemque plurimas possideat perfectiones, quarum vestigia in rebus creatis reperiri non possunt, facile intelligitur, mancam omnino & mutilam nostram de DEO esse cognitionem. Voluntatem vero quod attinet, quām perversē haud raro illa feratur in res non modo nondum recte cognitas atque intellectas, verum etiam contrarias repræsentationibus ipsius intellectus, tristis quemlibet docere potest experientia. Atque hanc imbecillitatem intellectus perversitatemque voluntatis prorsus impedire, quo minus illa, cuius mentionem tecimus, felicitate frui possit homo, quamdui in hoc statu permanet, ipsa quoque ratio videre potest, quamvis, quo modo ex hisce malis emergere queat, plane ignoret.

Quod corruptionem humanam aliquo modo agnoverint ipsi gentiles, pluribus probari potest documentis. Aristoteles, L. I. Eth. C. 13. *id*, inquit, *animae*, quod rationem habet - - ad optimas res homines invitat. In ipsis autem & aliud quid praeter rationem inesse videtur, quod quidem repugnat resistique rationi. Idem, magn. mor. L. I. C. 9. *proniores ad intemperantiam sumus*, quam ad modestiam & temperantiam. Seneca, epist. 52. *quid est hoc*, ait, *Lucili*, quod nos alio tendentes alio trahit & eo, unde recedere cupimus, impellit? Hinc etiam Ovidius Medeam ita querentem adducit: *aliud cupido, mens aliud svadet: video meliora proboque, deteriora sequor.* lib. 7. met. v. 20.

§. XIV.

QUum igitur felicitatem hominis in ejus productione intenderit DEUS (§. 12.), in hoc vero statu, in quo homo jam est constitutus, & quamdiu in illo permanet, ea obtineri non possit (§. 13.); reliquum est, ut, nisi DEUM fine suo frustratum esse statuere velimus, Eum, per sapientiam suam bonitatemque, modum indigitasse existimemus, quo ex hac miseria exsurgere, felicitatemque, ad quam conditus erat, quaque exciderat, recuperare homo queat. Quumque felicitas hominis in eo consistat, ut DEUM sufficienter cognoscat Eumque appetat (§. 12.): concluditur, DEUM, quocunque etiam modo id factum fuerit, semet & voluntatem suam homini quem mundi epitomen esse voluit, in tantum indicasse, quantum ad finem hunc consequendum necessarium fuerat.

§. XV.

Indicationem eorum, quae ad veram felicitatem consequendam homini cognitu vel factu necessaria sint, huicque fini obtainendo sufficient, *revelationem* dicimus.

§. XVI.

Quoniam intelligere potest homo DEUM semet atque voluntatem suam ipsi, quo demum cunque modo, in tantum indicasse, quantum ad veram ejus felicitatem consequendam necessarium sit (§. 14.), hæc vero indicatio revelationis nomine veniat (§. 15.); patet, quod revelationem dari, homini non plane

plane ignotum sit, saltem non esse debeat; adeoque ignorantiam revelationis non prorsus invincibilem esse (§. 2.).

Neque plane a nobis dissentient Theologi, dum *principia rationis reale usurpata manuductionem quandam ad tuos men aliquod certius investigandum suppeditare posse* affirmant cfr. Budd. Th. mor. P. I. C. I. S. 2. §. 30.

Accedit pro praesenti tempore, quod commercia per totum fere orbem exerceant hodie Christiani, ita ut per traditionem ab iisdem hac de re facile informari queant illi, qui revelationis luce adhucdum destituuntur.

Præterea quum criteria revelationis ratio quoque suppeditet, quemadmodum a Philosophis jam demonstratum est: secundum ea ipsa examinari quoque revelatio potest & genuina a spuriis discerni; adeo ut error quoque circa hanc rem non ille minus vincibilis audiat. quod tamen pluribus persequi, quum nimis longum foret, jam supercedemus. confr. int. Job. Chriſt. Fischeri Demonstr. solid. de obligat. hom. ad relig. & nat. & rev.

§. XVII.

IEx quanto a summo Imperante, aut si mavis, superiore Homine, determinatur, humana seu civilis dicitur (§. 10.). Ad hanc igitur quum actio-nes suas conformare obligati sint subditi, haecque, nisi de agendis sufficienter sint instructi, conformatio ægre locum inveniat, necesse est, ut eadem, nem-pe lex, non modo perspicua sit, verum etiam ipsis indicetur, hoc est, sanctione interveniente cognita reddatur sive promulgetur. Neque enim alia, quam quæ ita comparata fuerit lex, eo nomine digna est sentenda.

Pater hinc quid existimandum sit de legibus illis, quas Caligula minutis litteris perscribi, & tam edito loco assigi curaverat, ut vix vel ne vix quidem legi potuerint. *Dio Cass. L. LIX.*, in excerpt. Peiresc.

§. XVIII.

QUUM autem legis, quæ perspicua est atque promulgata, cognitionem, & quidem veram, quisque, cuius interest, sibi comparare possit, id quod nemo facile negaverit; & lex civilis nulla, nisi perspicua atque promulgata, admitti queat (*§. 17.*); sequitur, quod error atque ignorantia legis civilis, respectu eorum, quibus lata est, vincibilis omnino sit (*§. 2.*).

Quod si vero quid in legibus hisce obscurum videatur, ejus declaratio peti potest a Legislatore aut illius delegatis, qui ad ius secundum illas dicendum publice sunt constituti. PUF. de J. N. & G. L. I. C. 6. §. 13.

§. XIX.

CESSANTE operatione actio quæcunque libera, sub certis circumstantiis ad legem relatis considerata, *factum* dicitur. Consectaria vero facti dicimus ea ipsa bona vel mala, aut si mavis, præmium illud vel poenam, quæ factum comitantur, cumque eo connexa sunt.

Quemadmodum itaque pro varietate circumstantiarum *factum* modo bonum modo malum censetur; ita quoque consectaria ejusdem eodem modo variant.

§. XX.

AUTOR facti nobis est ille, ad cuius voluntatem referri potest facti existentia, aut qui id agit,

ut

ut ad se applicentur ejus consectaria. Quum vero voluntas facultatem & volendi & nolendi complectatur: inde ad voluntatem alicujus referri possunt non modo ea, quæ, ut existant, quis voluerit, verum etiam quæ noluerit.

§. XXI.

Quandoquidem id omne, quod quis non vult ut existat, ad voluntatem ejus referri, ejusque quis auctor haberi possit (§. 20.), ille vero, qui boni alicujus cognitionem, quam impetrare potuit, sibi comparare neglexit, neque ipsum bonum velle censetur; quippe quum boni volitio sine ejusdem cognitione concipi nequeat (per princ. Psych.): apparet ratio, cur is, qui ex ignorantia vincibili bonum aliquod omittit, facti hujusce sui jure meritoque auctor habeatur (§. 20.).

Porro, in errore quandoquidem rem sibi quis repræsentat non vera & genuina, sed fraude sua ludente saepè verosimili specie (§. 2.): factum igitur aliquid bonum, non ut bonum, sed aliter plane sibi repræsentat. Quum vero nemo id, quod non ut bonum sibi repræsentat, velle possit (per princ. Psych.): patet, quod quisquis illam in agendo rationem sequi voluerit, hoc est, qui per errorem vincibilem aliquid agit, ipse impedimentum volitionis sibi obiciat, adeoque bonum illud, quod sic quidem omittit, nolle censeatur, consequenter ipse quoque facti sui auctor non immerito censi queat (§. 20.).

Eodem modo se res habet, si quis ex ignorantia & errore vincibili malum aliquod committit.

Imputare nihil aliud est quam declarare aliquem pro auctore facti; excusare vero est efficere, ut actio nobis imputari non possit.

§. XXIII.

Qum is, qui ex ignorantia aut errore vincibili agit, facti illius quoque auctor sit habendus (§. 21.); imputare vero nihil aliud sit, quam declarare aliquem pro auctore facti (§. 22.): patet, ea, quæ ex ignorantia aut errore vincibili patrantur, imputari posse, adeoque ignorantiam aut errorem vincibilem non excusare. (§. cit.).

Imo vero tantum abest ut ignorantia & error ubique excusent, ut potius, pro ratione circumstantiarum, peccatum ex ignorantia aut errore patratum nonnunquam gravius censeatur ipso peccato contra conscientiam. Ita v. c. Principes Judæorum, qui Servatorem morti tradiderunt, ut ex ignorantia idem egisse censi poterint, citra controversiam gravius peccasse, quam Petrum, dum CHRISTUM contra conscientiam abnegavit, putat Elias Saurinus in Consideration. Jurium conscientiæ Part. I. S. 3. cfr. act. Er. Lips. An. 1697. mens. Sept. p. 429.

Loquimur vero in præsenti de ejusmodi tantum ignorantia atque errore, ad quæ evitanda obligati sumus. Quod hic indicandum fuit, ne quis ex thesi nostra fluere existimet, actionem quoque bonam in ciò aut erranti imputari. cfr. Schub. Phil. pract. §. 123.

Quod vero pactum in quo circa conditionem illam, quæ ipsius pacti fundamentum esse & solet & debet, quis ignorans vel errans fuerit, invalidum sit, ejus rei rationem

tionem non in ipsa ignorantia aut errore quærendam esse arbitramur, sed quia ipsa conditio, cui consensus superstructus fuerat, abesse deprehenditur. Ea vero absente consensus neque ullus adest, qui tamen ad omne pactum necessario requiritur. cfr. PUFEND. de J. N. & G. L. I. C. 3. §. 12.

§. XXIV.

Quoniam ignorantia atque error, qui vincibilis est non excusat (§. 23.); ignorantia vero atque error, quorum caussa in effectibus quærenda est, haud raro talis sit (§. 4.); patet ignorantiam atque errorem, quæ ita comparata sunt, neque excusare.

Et ex hujusmodi quidem ignoratione *Paulus* Christianos persequebatur. dicit enim 1. Tim 1: 13. se id ex ignorantia fecisse, Act. vero 22: 3. semet zelo Dei accentum fuisse affirmat. Significat autem vocabulum zelus in genere affectum amoris ardentissimum in rem aut personam aliquam, cum proposito vindictæ erga adversantem; in specie autem zelus Dei talen denotat affectum, qui pro cultu avino pugnat, observante D. Balduino.

§. XXV.

Quum ignorantia atque error vincibilis non excusat (§. 23.), ignorantia vero & error ex præjudiciis ortus talis omnino sit (§. 7.): neque hæc ignorantia aut error excusare potest.

Accidit haud raro circa rem præsertim religionis, ut mentibus jam teneris a parentibus, præceptoribus aliisque variæ instillentur opiniones, quæ ibi receptæ tam altas, ut ita dicam, agunt radices, ut vix vel ne *vix* qui-

dem evelli unquam queant. Cujusmodi a Doctore Theologo, qui de præjudiciis scripsit, exemplum jam ante dedimus. Quod si itaque quis in religione corrupta atque falsa educatus, eandem puram atque veram esse sibi persuaserit ideo, quia a teneris, uti dici solet, ungivculis eam didicit, aut quia majores ejus eandem amplexi sunt, & adhucdum multi, quos eruditissimos opinatur, eam protentur: ejus utique ignorantia, utpote ex præjudicio orta, minime eum excusat. Patet hinc, quid censendum sit de illa ignorantia, cuius mentionem facit Ap. Petrus Act. 3: 17. ubi, Judæos ex ignorantia CHRISTUM Principem vitæ occidiisse, affirmat. Notum enim est, multos Judæorum in præconcepta illa fuisse opinione, quod MESSIAS regnum aliquod terrestre erecturus fuisse. Hoc itaque quum in CHRISTUM JESUM non quadrare viderent, neque eundem verum illum patribus promissum MESSIAM agnoverunt. Sed qui ideo tamen excusandi non sunt, cfr. Joh. 15: 21, 24.

§. XXVI.

Ignorantia atque error vincibilis quoniam non excusat (§. 23.), ignorantia vero atque error circa existentiam divinam talis omnino est (§. 8.): neque hanc ignorantiam aut errorem excusare posse, patet.

Hinc itaque apparet, quid censendum sit de peccato sic dicto philosophico, de quo Jesuitæ passim nugantur, quod licet sit rationi graviter repugnans, artamen quoniam committitur ab invincibiliter ignorantे aut non advertente Deum esse, non sit formalis offensa Dei, nec peccatum mortale, nec meo reatur pænam ignis eternam, sed stare possit cum caritate perfecta & amicitia divina, cfr. acta erud. Lips. An. 1690. l. c.

§. XXVII.

§. XXVII.

SIquidem ignorantia & error vincibilis non excusat (§. 23.), ignorantia vero & error circa legem naturalem talis est (§. II.): ergo, quæ ejus generis est ignorantia atque error, neque excusationem dare potest.

Si quis igitur ab aliis lèdendis, nisi pactum aliquod humanum intercesserit, sibi non esse abstinentum existimat, atque sic damnum præter meritum alteri inferret, ejus certe ignorantia aut error eum neutiquam excusaret. Quilibet enim ratione prædictus ejusque usu gaudens novisse poterit, hac licentia concessa, non posse non totius generis humani tristem sequi ruinam, & ab ipso existendi initio principium intereundi omnino suspensum esse. Interrim tamen non defunt, qui vel verbis vel factis hoc ipsum paradoxon adprobant. *Illorum* in numerum politicum sine exemplo speculativum, *Thom.* puta *Hobbesium* suo jure referimus, qui jure naturali omnium indistincte omnia esse statuit, & hinc statum naturalem bellum concipit omnium in omnes; adeoque si quidem pax habenda sit, pactum intercedere debere, quo quis a jure suo in tantum recedat, in quantum cæteri recedere parati fuerint. cfr. *Schub.* Ph. pr. §. 174. His vero annumeramus respublicas illas piraticas, *Algerianam*, *Tunetanam*, *Triopolitanam* & cæteras Africani maris accolias civitates, quæ doctrinam morum ab *Hobbesio* commendatam impigre fideliterque hodiecum sequuntur.

Apparet hinc quoque, quid censemus sit de jure belli earum gentium etiam, apud quas in usu fuit infantes recens natos, aut fame extingvendos aut a feris bestiis devorandos, exponere: illum quem morem ex ignorantia legis apud

apud easdem invaluisse contendit *Lockius* de intell. hum. L. I. C. 3. §. 11.

Quoniam vero, quemadmodum jam ante (§. II. Schol.) monuimus, ob arctissimos, quibus intellectus noster circumscriptus est, limites, quid in quolibet casu speciali determinet lex nat. perspicere ubique non valemus: hoc in casu ignorantiam identidem excusare, non negamus.

§. XXVIII.

Quum ignorantia vincibilis non excusat (§. 23.) & in illam classem suo merito referenda sit, quæ circa revelationem ejusque existentiam versatur (§. 16.): circa eandem quidquid ignoranter actum fuerit, neque excusari, manifestum est.

Comprobat hoc ipse apost. *Paulus* dum Rom. I: 20. gentes affirmat esse inexcusabiles. Quum videlicet non essent ignari infirmitatum suarum, quod non possint naturalibus viribus Deum recte colere, ipsorum fuisse querere ecclesiam, sunt verba cel. D. *Balduni* in comment. super hunc locum. Numinis cognitio non decolor, ut puta, rationalis & philosophica, *Theismi* nomine multis hodie venire solet. Illam vero, nisi uberiore revelationis lumine animi sensus illustratus fuerit, ad salutem non sufficere, qui in cuiusdam de *Prades* Parisiensis baccalaurei irreligiosa dogmata observationes nuperrime evulgavit, pie & religiose monuit.

Quum etiam error circa revelationem vitari possit (§. 16. Schol.): eum quoque non excusare facile quisque videt.

§. XXIX.

Quoniam ignorantia & error vincibilis non excusat

cusat (§. 23.), & ignorantia atque error legis civili talis est (§. 18): sequitur, quod neque circa eandem ignorantia aut error excusare possit.

COROLLARIA.

1. Quum non rite muneri suo præesse possit mens *affectuum* turbine agitata, & , ubi inconsulto impetu illi transigere cœperint rem quamlibetcunque, difficiliori loco positum sit rerum naturalium discordiam ad concordiam moralē redigere: quantum cuique opus sit ad illum, qui est ex moderamine affectuum, tenendum sapientiæ modum, non e longinquō quisque videt.

2. Quemadmodum non omnes errores præjudicia; ita nec omnia præjudicia errores sunt censenda.

3. Neoterici cum *WOLFIO* definiunt *obligationem* per “
connexionem motivi cum actione. At oppido falsoam esse“
hanc definitionem inde appareat, quod etiam prohibitorum,“
quorum sane nulla est obligatio, dentur motiva. Fur,“
qui novit, se haud obligari ad furandum, sed prohibita“
potius esse furta, nihilominus ad ea movetur per cupidi-“
tatem habendi. J. Fr. *NEUMAN* de jure privato princi-“
pum tom, VI. lib. I. §. 1.“

4. Origo omnis obligationis a Deo est repetenda.

5. Per illud, quod conditionem entis cuiuslibet cuncte perfectiore reddit, in genere BONUM minus adæquate definiri, existimamus.

T A N T U M.

